

43. *Commemoratio eorum quae in sanctum Martinum Constantinopolis acta sunt, ex epistola cuiusdam ad Occidentales.*

44. *Martini papae epistolae duas ab exilio scriptae.*

45. *Relatio factae motionis in sanctum Maximum et socium ejus, coram principibus in secretario.*

46. *Sancti Maximi epistola ad Anastasium monachum, discipulum suum.*

47. *Anastasii monachi epistola ad monachos Cataritanos.*

48. *Relatio de dogmatibus quae agitata sunt inter sanctum Maximum, et Theodosium Cæsarea Bythynie episcopum, et proceres qui cum eo erant.*

49. *Anastasii, presbyteri et apocristarri Romæ, epistola ad Theodosium Gangrenensem, una cum subiectibus testimonis et syllogismis.*

50. *Hypomnesticon declarans Gesta sanctorum Maximi et utriusque Anastasi atque Martini papæ, necnon Theodori, Eusebii et aliorum. Bernardus de Montfaucon vir eruditus, monachus Benedictinus congregationis sancti Mauri in Gallia, in Diario Italico, Parisiis, in-4°, anno 1702 edito, cap. 21, pag. 309, hæc Collectanea Anastasi Bibliothecarii, Graece mss. extare inquit in Italia, in bibliotheca sancti Joannis de Carbonaria, Augustinianorum.*

X. *Translatis quoque ex Graeco in Latinam linguam Passionem MCCCCLXXX martyrum, quæ versio exstat Romæ in bibliotheca sancte Crucis in Jerusalem, cuius prologum nobis obtulit Joannes Mabillon in Itinerario suo Italico parte II, pag. 80, ubi etiam in hac præfatione Anastasius meminit quod opusculum istud suscepit agendum: Post translatam a se ad petitionem ejusdem, Passionem præcipui doctoris et martyris Petri, Alexandrinæ urbis episcopi: quæ etiamnum alicubi in Legendaris illis infinitis latet, quæ in bibliothecis pulvere oblecta latent.*

XI. *Idem ex Graeco in Latinum produxit Vitam sancti Basili Cæsareæ Cappadocum archiepiscopi, cuius operis integrâ præfationem edidit idem Joannes Mabillon, in eodem Itinerario Italico, parte II, pag. 82. Hanc operam laudat Baronius in notis ad Martyrologium Romanum, die prima Januarii, ibidemque indicat præfationem Ursi S. R. Ecclesiæ subdiaconi in Vitam S. Basili a se Latinitate donataim. Quam etiam habes apud Heribertum Rosweidum, in Vitis Patrum lib. I, pag. 416, et in notis pag. 425, versus Urso. Verum præfatio illa cum Vita quæ subsequitur, non alia est ab Anastasiana, quæ habetur in isto Itinerario Italico, inscriptione excepta, quæ apud Rosweidum aliasque decurta ac mutata est. Ex qua autem integra manifeste colligitur, Anastasium vulgatae Vitæ esse interpretem, quæ Urso perperam in impressis tribuitur: ideoque imposterum Vitæ interpretationem istius, tribuendam esse Anastasio bibliothecario, qui eam Urso instigante aggressus est.*

XII. *Idem aggressus versionem Passionis sanctorum Cyri et Joannis, cuius prologus refertur in eodem Itinerario Italico, pag. 83, exstatque cum textu Passionis in veterissimo codice bibliothecæ sancti Petri apud Carnutas, ordinis divi Benedicti. Nomen quidem Anastasii, quod in vitioso atque ex situ corrupto ms. exemplari erat oblitteratum, ex*

A conjectura restituit Joannes Mabillon loco citato, eo quod tempus et stylus Anastasio convenient. Idem sane dicendi genus, eadem præfationis methodus, quæ in præfatione Anastasi ad *Passionem MCCCCLXXX martyrum*. Itemque in *Præfatione Vitæ sancti Joannis Eleemosynarii*, apud Heribertum Rosweidum in *Vitis Patrum* p. 137 editionis Lugdunensis anni 1617.

XII. Denique idem edidit *Translationem ex Graeco in Latinum Vitæ sancti Donati episcopi apud Euriam in Syria*, cuius prologum idem qui supra profert in eodem Itinerario Italico, pag. 85, hanc Versionem esse Anastasii non dubitans, tametsi ejus nomen in Cassinensi codice desideratur, ex quo præfationem descripsit. Integrum autem libellum edere, ipsi visum non est opere pretium, cum ipsissima ista quæ in codice Cassinensi sunt, apud Monibritum vulgata sint: tametsi in Aprili Bollandiano ad diem 30. non alia *Acta* referantur quam ex *Menaxi* Graecorum.

B XIII. *Exstat Anastasii presbyteri et abbatis ac bibliothecarii S. Romanae Ecclesie ad Adonem archiepiscopum Viennensem epistola in Conciliis ultimæ editionis Labbeanæ Parisiensis anni 1672, tom. VIII, col. 568, De obitu Nicolai papæ I et electione Adriani II, inter epistolas Nicolai papæ primi, anno 867, indict. xv. Videas et ejus epistolam nonis Januarii anni 876 ad Hincmarum Rhemensis archiepiscopum inductione ix datam, tomo III Conciliorum Galliarum, pag. 423, quam ex Codice Rhemensi exhibuit Jacobus Sirmondus, Binio aliisque Collectoribus anteac incognitam. Unam quoque ad Anastasiu Bibliothecariu scripsit epistolam Photius patriarcha Constantinopolitanus, ordine 170, pag. 244, brevem, ex qua concludere promptum est magnæ tunc auctoritatis suisse Anastasiu Rome.*

C XIV. *Exstat quoque S. Theodorii Studitæ abbatis Constantinopolitanæ sermo de sancto Bartholomæo Apostolo, qui circa annum 820 inter Graecos clarus doctrina atque pietate emicavit, quem Anastasius S. R. Ecclesie bibliothecarius ex Graecis in Latinam linguam translut et ex ms. codice edenduni curavit, Spicilegii tomo III, pag. 13, Lucas de Acherio monachus Benedictinus congregationis sancti Mauri in Gallia.*

D XV. *Cum mortuo Adriano II Romano pontifice eius bibliothecarius seu referendarius, vel, ut modo loquuntur, secretarius et ab epistolis fuerat, idem munus sub Joanne VIII successore egisset, tanquam bibliothecarius seu Secretarius Joannis VIII papæ prædicti, cuius lateri et epistolis adhuc erabat, epistolas sex sub nomine ejusdem Graecas Latinasque simul edidit, ad negotia Orientalis Ecclesie spectantes, quæ exstant tomo VIII Conciliorum editionis Labbeanæ, in Appendice ad concilium octavum Constantinopolitanum ex ms. codice Vaticano, columnis 1451, 1461, 1473, 1477, 1479, 1485. Qui si superstes diutius in vivis fuisse, alias quoque pontificis ejusdem epistolas ultraque lingua Graeca ac Latina posteris reliquisset. Mortuo autem illo sub Joannis VIII pontificatu, Zacharias illi in bibliothecarii seu referendarii officio successor datus est, anno mihi incomerto.*

## NOTITIA BIBLIOGRAPHICA ALTERA.

(Apud Fabricium, Biblioth. med. et inf. Latinitatis, tom. I.)

ANASTASIUS, bibliothecarius Romanus, abbas et presbyter, in postea cardinalis, sive cardinalis ab an. 848 clarus temporibus Nicolai I, qui ab anno

858 Adriani II, qui ab anno 867, et Joannis VIII, qui ab anno 858 ad 882, pontificatum gessit, et fortasse etiam secutorum temporibus. Multa ex Graecis Latine

vertit e rudiore plerumque stylo et semibarbaro, A quanquam, ut Combeſſius in Bibliotheca Concionatoria recte judicat, nec ipso inutili, plerisque in mediis illius ævi auctoriis Gracis nobis futuris perobscuri, nisi lucem ille scientia quain sermone peritor, vel ita nobis reddens affudisset. » Habemus vero ex Anastasii versione : 1. *Chronologiam Nicephori Constantinopolitanam*, qui an. 828 diem obiit, eique subjunctam stichometriam librorum sacrorum. 2. *Historiam Ecclesiasticam*, qua inter Scriptores Historie Byzantinæ prodiit, ex eodem Nicēphoro, Georgio Syncello et Theophane confessore circa annum 872 contractam. 3. *Acta synodi sextæ Constantinopolitanae* in Trullo habita anno 680. 4. *Acta synodi septimæ*, sive *synodi Nicænae II* an. 787. 5. *Acta synodi octavæ Constantinopolitanæ* an. 869, cui ipse interfuit. 6. *Collectanea ad controversiam et historiam Monothelitarum spectantia*, a Sirmondo edita, atque Combeſſio, et obvia etiam tom. XII Bibliothecæ Patrum Lugdunens. De quibus singulis dixi tomo IX Bibliothecæ Graecæ, pag. 337 seqq., de Chronologia etiam tom. VI, pag. 153. *Passio 10000 martyrum* sub Adriano et Antonino Pio exstat in Actis Sanctorum 22 Junii, tom. IV, pag. 182. *Vita Joannis Eleemosynarii* patriarchæ Alex. apud Rosweidum lib. I de Vitis Patrum, et in iisdem Sanctorum Actis 23 Januarii. *Passio S. Demetrii* martyris apud Joannem Mabillonum tom. I Analect., pag. 65, et editionis novæ pag. 172. *Eucōnum S. Bartholomaei apostoli ex Graeco Theodori Studitiæ*, in Dacherii Spicilegio, tom. III, et editionis novæ tomo II, pag. 423, atque in Combeſſius Bibliotheca Concionatoria tomo VII. *Epistola ad Carolum Calvum præfixa Scholii S. Maximi et Joannis Scyropolitani* in *Dionysium Areopag.* ab Anastasio versis, edita ab Ussorio in Epistolis Hibernicis, pag. 45. *Epistola ad eudem Carolum præmissa Vitæ Dionysii scripta a Methodio*, apud Suriū ad 8 Octobris, et Petrum Franciscum Chisletum de uno Dionysio, aliosque. De vita illa ab Anastasio versa vide Mabillonum tom. I Analect., pag. 59 seq., et novæ editionis pag. 212, ubi Hincmarie de eadem ad Carolum imperatorem litteras exhibet. Idem Mabillonius tom. I Musei Italici pag. 80 seq. vulgavit Anastasii prologos in versas a se *Passionem 1480 martyrum* in Palæstina sub Chosroë (de quibus Acta Sanctorum 22 Junii, tom. IV, pag. 188), *Miracula S. Basilii Cæsareensis*, *Passionem SS. Cypri et Joannis*, et *Vitam S. Donati episcopi apud Euricon in Syria*. Tribuit illi etiam versio *Historie de Josephat et Barlaam* inter Joannis Damasceni Opera, *Epistolas S. Cyrilli Alex. ad Gennadium*, *Vitæ Petri Alexandrini*, *Passionis S. Agathii* sociorumque ejus : et narrationis *Miraculi Berytenis*, de imagine Christi a Judæis transfixa an. 765.

Præterea ipse scripsisse traditur Anastasius *Vitas Pontificum* (a) a Petro usque ad Nicolaum I, quas cum Guilelmo Bibliotecario de Vita Adriani II et Stephani VI sub Anastasi nomine primus ex Marci Velseri Bibliotheca vulgavit Joannes Busæus, Mogniæ 1602 4. Deinde Carolus Annibal Fabrottus

(a) Neutquam omnium, sed paucorum quorumdam fortasse à Gregorio IV ad Nicolaum I, quibus vicinus vixit auctorem posse esse Anastasium, non sine causa monent eruditæ. Vide præ cæteris Friderici Spanhenii Opera tom. II, p. 649 seq. et quæ collegii Oudinus tom. II, p. 258 seqq.

(b) *Giornale de' Letterati d' Italia* tom. XXXI, pag. 441 seq. *Acta Eruditorum* an. 1719, pag. 425. Anno 1725, pag. 153. Anno 1631, pag. 349.

cum *Historia Anastasii Ecclesiastica*, Parisiis 1649 sol. inter Scriptores Historiæ Byzantinæ; quos novissime Venetiis typis recusos constat. Antonii Dadii Alteserræ notæ et observationes excusæ separatis, Parisiis 1680 4. Post Buseum et Fabrottoni, splendidam hujus Libri Pontificalis editionem auspiciis Clementis XI papæ curare cœperunt doctissimi viri Franciscus Blanchinus et Joannes Vignolius notis et observationibus illustratam (b), Romæ 1718, 1724, 1728 sol. neque tertio hoc tomo opus absolutur, qui in Gregorio Magno jam desinit. Post absolutam a Fabricio Bibliothecam hanc Latinam prodiit quartum volumen Romanæ editionis. Hujus tria priora a Fabricio indicata sunt. Precedunt prolegomena nonnulla, in quibus continentur Josephi Blanchini Veronensis congregationis Oratori de Urbe presbyteri dissertationes epistolares septem ; tum opusculum de *Vitis Romanorum pontificum* a B. Petro apostolo usque ad S. Paulum primum ex Veronensi codice. Item aliud opusculum continens codicem Sacramentorum vetus Romanæ Ecclesiæ a S. Leone papa conjectum, de quo dicemus, cum de S. Leone agendum erit. Opusculum III exhibet Gelasii I decretum et Florentino codice desumptum cum aliis duobus collatum IV. Fragmentum Catalogi Pontificalis in Vigilio desinens, quod integrius receditur, quam legeretur in tom. III ejusdem editionis Anastasianæ. Opusculum V. dat Fragmentum Invenitivæ in *Roman pro Formoso*. Opusculum VI fert appendicem seu variantes ad *Martyrologium Bodæ* editum in principio tomi II *Actorum SS.* Bollandi collatum cum codice Veronensi seculo circiter X. VII Opusculum exhibet Psalterium cum Canticis juxta Vulgatam antiquam, et Italiam versionem cum variantibus, et collatione instituta cum aliis vetustissimis Psalmis. Excipit hæc omnia Cajetani Cenni presbyteri Pistoriensis *Chronologia Cæsarea pontificia* tomo IV ab an. Christi 590 usque ad 768.

Totuni vero luculent recensitum exstat novo ejusdem Vignolii (c), Romæ 1724, forma quarta majore, atque sub idem fere tempus clarissimi Muratori studio in tomo tertio *Rerum Italicarum*, Mediolani 1723 sol., addita (d) etiam auctiorum veterum continuatione de *Vitis Pontificum* a Leone IX ad Joannem XXII.

*Chronicon breve Cassinense* in anno Christi 857 desinens, quod Anastasio tribuitur, edidit laudatus Muratori tomo secundo magnæ illius atque Italæ honori semper futura Collectionis tom. II, p. 249, sed Anastasium auctorem esse vix ac ne vix quidem sibi persuadet.

*Epistola ad Adonem archiepiscopum Viennensem*, atque altera de obitu Nicolai I pape et electione pape Adriani II et tertia ad Hincmarum leguntur in tomis Concilior. Regia XXXIII, Labbei VIII, Harduini V, et Veneti Coleli X.

*Martini I*, pape *Epistolas XIV, XV, XVI, XVII et XVIII* versas ab Anastasio exhibit et prefationem ejus ad *Martini Narniensem* episcopum memorat Biunius tom. II Concilior. edit. 1618, atque inde atti

(c) *Acta Eruditorum* an. 1727, pag. 52. *Journal des Savants* an. 1726. Jun. pag. 246. *Mémoires de Trévoux* an. 1727, pag. 89.

(d) Vide conspectum meum thesauri Litterarii Italæ pag. 27 seq. et *Acta Eruditorum* anno 1724, pag. 377 seq. ubi etiam de *Petri Boerii* episcopi circa an. C. 1380. Urbevetani notis in Anastasium MSS.